

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XIII. De arteria femorali eiusque ramis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

reliquis musculis abdominalibus peritonæo atque umbilico ramulos, cum imarum intercostalium, mammariæ internæ atque externæ ramusculis anastomosi ex parte iunctos, distribuit. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I. fasc. VI. tab. I.

§. XVII.

Circumflexam ilium (arteriam abdomi- *Circum-*
nalem) e regione epigastricæ, iliaca ex- *flexa*
terna, interdum vero femoralis, protrudit. *ilium.*
Hæc, insigni ramo ad muscolum dimisso, sursum fertur, & inter obliquum ascendentem transversumque abdominis musculos, circa ossis ilium oram flexa dictos musculos & obliquum descendentem ramulis ornat; quorum nonnulli cum intercostalium ramulis anastomoses faciunt. Ipse truncus in obliquo ascendente disparet. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I.

Obs. Sub circumflexa ilium alia arteria abdominalis ex femorali quandoque surgens, abdominis integumentis, ad imas fere costas usque, distribuitur.

CAP. XIII.

De arteria femorali eiusque ramis.

§. I.

Arteria iliaca externa, ad ossium pubis *Arteria*
atque coxarum symphyfin, ex pelvi *femorali.*
egrediens, arteriæ cruralis, vel femoralis

nomen recipit, &, multa cellulosa tecta glandulisque stipata, venam supergreditur, in interno femoris latere sub integumentis communibus descendit, ac denique, se inter musculos abdens, atque sub tricipite magno ad posteriora declinans, poplitem petit, ibique arteria poplitea dicitur. In decursu suo plures ramos extrorsum atque introrsum protrudit. Ad illos ramus summi femoris cutaneus, alius ad sartorium atque glandulas, *arteria profunda*, duo rami ad vastum internum, alii duo ad sartorium & interdum nutritia ascendens, ad hos *pu- denda externa* superior atque inferior, ramus ad tricipitem anteriorem, atque alii duo ad tricipites, ad utrosque articulares genu, cum articularibus inferioribus anastomoses habentes, pertinent. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. I. II. III.

§. II.

*Femoris
profunda.*

Ex femorali arteria in imo iliaco interno profunda femoris, exterior atque posterior orta, inter bicipitem secundum atque vastum internum ad recti finem usque descendit, pluresque ramos maiores minoresque in itinere emittit, v. c. circumflexas, externam atque internam, perforantem primam & secundam, nec non perforantem alteram, vel inferiorem, quæ superiori ascendendo obviam fertur, nec non alios ramos musculis dicatos.

§. III.

Circumflexa femoris externa alte, ni- *Circum-*
 mirum ad patellam usque sese demittit, at- *flexa.*
 que in decursu suo ramulos ad musculos
 gluteum minimum, iliacum, fasciam la-
 tam, sartorium, vastum utrumque, rectum
 atque cruralem ramos expandit. Circum-
 flexa interna, musculo pectineo tecta, in-
 trorsum flectitur, atque ad internum fora-
 minis magni latus ascendit, & cum ob-
 turatoria anastomosin nequit. Ab hac fe-
 moris cum osse coxarum articulationi tro-
 chanteribus & musculis, iliaco interno,
 obturatori, quadrato, pectineo, tricipiti-
 bus, semitendinoso ac semimembranoso
 rami mittuntur.

§. IIII.

Ex arteria femoris profunda, musculum *Perforans*
 quadratum inter atque tricipitem magnum, *ses.*
 perforans prima proveniens, trochanteris
 magni inferiorem superficiem circumlegit,
 datisque musculis psoas & tricipiti primo,
 secundo &c. ramulis, in gluteum maximum
 pergit. Perforans altera sub priori exsur-
 gens, inter tricipitis longi carnes ad poste-
 riora vergens, ramum ad vastum exter-
 num, fasciam latam atque tricipitem bre-
 vem ablegat, a quo, duos circiter digitos
 sub trochantere maiore, nutritia femoris
 inferior exurgit.

§. V.

In poplitis regione popliteæ nomen *Poplitea*
 arteria femoralis recipiens, & emissis ad

G

utrumque latus ad musculos atque genu ramusculis v. c. gastrocnemiis atque articularibus superioribus atque inferioribus, anastomosi coniunctis, inter duos femoris condylos sese abscondens, sub articulatione in duos ramos, nimirum anteriorem atque posteriorem, dirimitur. *De Haller* l. c. fasc. V. tab. III. & V.

§. VI.

Tibialis anterior.

Tibialis anterior, infra caput fibulæ orta, datis articulationi genu ac musculo tibiali postico ramulis, statim *ligamentum interosseum perforans*, *anteriora petit*, & musculo tibiali anteriori tecta, in dicto *ligamento interosseo* in intervallo musculi tibialis antici & extensoris primo digitorum, dein pollicis, *descendit*, atque emissis in itinere ad tibiæ ac fibulæ periosseum, & musculos tibialem anteriorem, extensorem communem longum, & pollicis extensorem ramusculis, versus inferiorem tibiæ partem antrorsum flectitur, & subligamento armillari dorsum pedis petens, datis ramulis ad articulationem, alio ad tarsum (arteria tarsea) alio ad pollicis abductorem, in interno dorsi pedis latere ad pollicem abeunte, arteria metatarsea, tres ramos interosseos protrudente, & pollicis dorsali internum huius latus petente, inter os metatarsi primum & secundum in pedis plantam sese demergit, ibique in duos ramos finditur, quorum alter arcum plantarem cum plantari externa tibialis posticæ ramo constituit,

& simul ramum retrogradum emittit, alter plantarem pollicis efformat. Dorsalis pollicis, atque interosseæ ramos ad pollicem atque digitos, arcus super illos facientes, demandant. De tibialis anterioris ramis generatim notamus, quod multas cum tibialis posterioris atque peroneæ ramulis anastomoses nectant. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. IIII. & VI.

§ VII.

Tibialis postica, vel suralis, est ramus *Tibialis* popliteæ posterior & ut plurimum maxi- *postica.* mus, in fura se demittens, pone malleolum internum cavam lateralem calcis partem, plantamque pedis, petit. In descensu suo varios ramos musculares atque superficiales, ad utrumque latus dimittit, quorum potiores eo potissimum ordine, quo se invicem excipiunt, enarraturus sum. Ad internum latus ramum popliteo, tres gastrocnemio interno, duos, anastomosi iunctos, cuti, alium cum peroneæ ramo anastomosi habentem quoque cuti, alios flexoris tendinibus & pollicis abductoris atque calci nonnullos, cum peroneæ ramulis anastomoses nectentes, tribuit. Ad latus externum nutritiam tibiæ, quatuor ramos ad tibialem posticum, unum ad nervum magnum, tres alios, anastomoses cum peroneæ ramusculis admittentes, unumque ad calcem spargit. Sub calce, huic ramum recurrentem, aliumque extrorsum cum peronea arcum formantem, duos vero in-

trorsum, nimirum unum superficialem, atque alterum pollicis abductorum dicatum, protrudit. Denique truncus sub tarso in arterias plantares, externam atque internam dirimitur. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. V.

§. VIII.

*Nutritia
tibia.*

Ortus nutritiæ tibiæ modo dictus est. Hæc inter tibialem posticum digitorumque flexorem alte se demittens popliteo, soleari atque tibiæ periosteum ramum ascendentem mittit. Alii ad tibialem posticum ac tibiæ periosteum pergunt, pluresque dictorum ramulorum cum peroneæ atque tibialis posticæ ramusculis anastomoses nectunt. Ramus quidam huius arteriæ ex osse iterum egreditur.

§. VIII.

*Plantaris
externa.*

Plantaris externa continuatio trunci tibialis posticæ existens, & emissis nonnullis extrorsum ramis cutaneis, unoque ad substratam calcipinguedinem cum peronea, arcum ibi constituyente, aliisque cutaneis introrsum euntibus, inter flexorem digitorum brevem carnemque quadratam, latus plantæ exterius sensim petens, in duos, circa metatarsi initia, ramos dispescitur, quorum externus, atque tenuior, ad digitum minimum properat, internus vero & maior, flexore brevi in metatarso tectus oblique introrsum flectitur, & cum tibiali anteriore, ibi ad plantam penetrante, arcum plantarem construit, ex quo recurrentes

perforantesque, nec non rami interossei
proveniunt; hi ad digitos delati, circa eo-
rum principia furcas formant, ex quibus
rami digitorum plantares interni atque ex-
terni in ipsis digitis arcus describentes,
profiliunt. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. VI.
fig. 1. 2.

§. X.

Carnem quadratam atque pollicis ab-
ductorem plantaris interna sequens, furcæ,
quam tibialis anterior ad pollicis ramos
plantares producendos format, immittitur.
In progressu suo extrorsum tres circiter ra-
mos, & introrsum ramum aliquem profun-
dum, dictæ furcæ quoque immissum pro-
iicit, qui cum plantaris externæ ac tibialis
anterioris ramulis anastomoses ineunt. Ar-
teriæ pollicis plantares consuetos arcus sub
pollice exstruunt, earumque exterior di-
gito primo etiam prospicit. *A. de Haller*
l. c.

§. XI.

A tibiali posteriori, ad musculi tibialis
principium, rarius ab anteriori, antequam
ligamentum interosseum perforat, arteria
peronea emissa, & inter tibiam ac fibulam
descendens, inferius ligamento interosseo
incumbit. In descensu suo ramos extrorsum
ad solearem & gastrocnemium nonnullos
superficiales, alios ad fibulæ periossteum, &
inter hos nutritiam fibulæ, ad flexorem pol-
licis & musculos peroneos, introrsum vero
nonnullos ramulos superficiales atque mu-

sculares mittit. Circa ligamenti interossei finem sæpius in duos ramos dividitur, quorum anterior, si adest ligamento interosseo perforato, fibulæ, musculis peroneis, imæ tibiæ, atque ligamento annulari ramulos dividit, & tendinem peronei brevis sequens, in osse cuboide terminatur. Posterior, ad externum calcanei latus flexus, externam calcis superficiem petit, datisque pluribus ramulis, & inter hos calcis nutritia, cum utriusque tibialis ramusculis anastomoses admittentibus, plantaris externæ ramo inferitur. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. V. tab. VI. fig. I.

CAP. XIII.

De venis generatim, nec non de pulmonariis, vena cava, atque coronariis.

§. I.

De venis generatim. Venæ, coni inversi figura gaudentes, atque in viscerum aliarumque partium extremitatibus exilibus radiculis ortum capientes, lumine sensim augentur, & sanguinem ab arteriolis, venulis resorbentibus aut corporibus cavernosis v. c. penis, clitoridis, acceptum versus cor revehunt. Earum diameter, si a pulmone recesseris, ut plurimum maior, quam arteriarum sociarum est, sæpiusque unam arteriam duæ venæ comitantur. Arteriarum instar, ex